

8. *Vnum est Evangelium, quo omnes sancti, o-*
mni. temporibus, ab initio mundi salvati sunt.
9. *Maria fuere certamina de justificatione*
omnibus temporibus: de quibus vide ipsum
auctorem.
10. *Studium conciliationis doctrinæ lega-*
lis & philosophicæ cum Evangelio, est fons
& origo omnium corruptelarum.
11. *Apud patres extant quædam incommo-*
dæ locutiones, quas oportet admodum dex-
trè explicare.
12. *Removendæ sunt alienæ quæstiones,*
& status legitimè formandus: nimirum. 1. de
meritoria causa, seu satisfactione. 2. de or-
gano sive medio, quo applicanda est.
13. *Justificare hīc est verbum judiciale, &*
significat idem, quod à peccatis absolvere,
cui opponitur condemnare.
14. *Iustitia Dei notat justitiam, quæ coram*
Deo acceptatur ad vitam æternam: & hæc est
obedientia mediatoris.
15. *Fides est unicum medium & organon,*
per quod justitiam Christi apprehendimus,
recipimus & applicamus.
16. *Fides justificans est ex agnita divini ver-*
bì veritate, per Sp. sanctum, divinæ gratiæ
seu misericordiæ per Christum redempto-
rem, in promissione Evangelica fiducialis
apprehensio ad salutem æternam.
17. *Alia dicuntur de fide respectu notitiae,*
alia respectu fiduciae.

18 No-